



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Constans Defensio, Ex S. Scriptvra, Et Vera Catholica  
Doctrina, Atqve Observatione Vniuersalis Christianæ  
Ecclesiæ Deliberationis de Christiana Reformatione**

**Bucer, Martin**

**Genevae, 1613**

De satisfactione pro peccatis 11

**urn:nbn:de:hbz:466:1-34315**

quàm adultiores decem præcepta discant, & proprium ac genuinum eorum intellectum sibi confirment? Quare etiam homines ex eis edocti fuerunt confiteri?

Moses quidem nihil ad Christianos pertinet, neq; illis cum coactione & condemnatione legis proponi debet, posteaquam Christus Dominus liberum ac spontaneum spiritum ad bonum illis impertiit, & condemnationem legis amouit. Sic etiam liberi sunt à lege Mosaica, quantum ad ceremonias & externas ordinationes veteris tabernaculi ac politia attinet. Caterum quòd de lege Mosaica in duobus mandatis de diligendo Deo & proximo comprehensum est, id diligenter omnes Christiani intueri debent, ex eoque quotidie peccata sua magis discere confiteri, seque ad pœnitentiam excitare, quam ex agnitione peccatorum, & seueri iudicij diuini contra peccata, quæ vtraque lex docet, existere oportet. Ad hanc rem Dominus ipse & Apostoli eius legem vsurparunt. Expendatur quomodo Dominus etiam fidelibus suis legem explicauerit Matth. 5. Item quod D. Apostolus de lege scribit. Rom. 7. Corinth. 10. & multis aliis locis.

Aduersarij dicunt, pœnitentiæ prædicationem quæ fidelibus impenditur, fieri debere commemoratione & excitatione spiritualis legis, vitæ in Christo, hoc est spiritus Christi, per quem in fide ab omnibus peccatis abhorremus; cupimusque vitam nostram ad omne placitum Dei comparare. Caterum quo alio modo excitandus erit ille Spiritus in Christianis, nisi commemoratione accerbissimæ mortis ac passionis Christi, ac declaratione legis diuinæ, quemadmodum Liber Reformationis docet.

Postremò docent Aduersarij in hac accusatione, Homines ad pœnitentiam excitari & renouari debere vocibus quas introduxerunt, de reuertendo ad Deum, non autem nuda lege Mosaica. At vbi docet Liber, Salam & nudâ legem Mosaicam ad id adhibendam esse? Sed hoc potius docet, totum Euangelium ac commemorationem passionis Christi ad id præcipuè vsurpandam esse. At quis hic morbus est accusandi & reprehendendi, in quo nihil vituperari vitiòque verti potest?

### Tertia Pars.

#### *De Satisfactione pro peccatis.*

#### CAPVT XI.



ERTIÒ reprehendunt Librum, quòd non meminerit Satisfactionis, quæ tamen ad Pœnitentiam Christianorum requiratur.

#### *Responsio.*

Hoc loco rursus manifestam iniuriam faciunt Libro, magisque seipso quàm Librum damnant. Nam in Articulo de Conuersione à peccatis, ac vera pœnitentia, &c. Satis ac solidè docetur de vera

satisfactione, quæ Christianorum propria est, nempe per quam veram peccatorum suorum pœnitentiam Ecclesiæ demonstrare, & de ea illi satisfacere debent, quemadmodum id D. Augustinus declarat in Enchiridio cap. LXV. Quæ satisfactio præcipue consistit in vera & efficaci emendatione vitæ.

De constituta strenua pœnitentia & satisfactione, cuius Cyprianus & Augustinus, hoc loco à Patribus citati, meminerunt quâ (vt Augustinus rectè interpretatur) satisfiebat Ecclesiæ de latente corde pœnitentium, nihil in Administratione sua demonstrare poterunt Aduersarij, exceptis quibusdam Pater noster, Rosariis coram imaginibus, vel aliis precibus, redemptionem missarum, Peregrinationibus, & aliis similibus, quæ longo iam tempore in Aduersariorum administratione pœnitentiæ loco hominibus iniungi consueuerunt, & quæ non ante, sed post factam absolutionem imponuntur, nihilque minus sunt quàm Satisfactio illa, de qua sancti Patres loquuntur, quos Aduersarij hoc loco adducunt. Antiqua enim Pœnitentialis disciplina, hoc modo obseruabatur.

Si quis in eorum peccatorum aliquod prolapsus fuisset, de quibus scriptura pronunciat, Qui talia faciunt, regnum Dei hæreditare non possunt: atque eiusmodi peccatum Ecclesiæ indicabatur, vel ille ipse qui id admiserat, confitebatur, tunc tali certum tempus ab Ecclesiæ ministris præfiniebatur, quo se in Pœnitentia continere, suæque peccata publicè confiteri ac lugere debebat, verumque de eis dolorem demonstrare, non tantum ab omnibus peccatis & vita carnali abstinendo, verum etiam magis seria deploratione peccatorum suorum, assiduis ieiuniis, continuis precibus, ac largis eleemosynis. Istiusmodi veræ pœnitentiæ de peccatis declaratione, & firmo emendationis proposito, talis Ecclesiæ satisfaciebat, & semetipsum reconciliabat, & in obedientiam Dei rursus statuebat. Qua propter debebant eiusmodi pœnitentes toto tempore pœnitentiæ suæ in separato loco templi consistere, dum prædicatio verbi Dei fiebat, & preces fundebantur. Quamprimum verò Sacramenta tractanda & administranda erant, cogebantur ab Ecclesia secedere, quod illis semper per diaconum præcipiebatur. Et quando tales pœnitentiæ suam Ecclesiæ satis demonstrauerant, adeò vt sufficientem peccatorum suorum & confessionem & pœnitentiam fecisse iudicarentur, tunc primum remissio peccatorum & reconciliatio cū Domino & Ecclesia per impositionem manuum factam ab Episcopo & vniuerso Clero, illis cōmunicabatur. De antiqua hac traditione legatur tertia & octaua primi & 14. & 16. Epistolæ libri tertij Epistolarum Cypriani. Item in Sermone de Lapsis. Item in Epistola Clerici Romani ad Cyprianum, quæ est VII. libri II. Item apud Augustinum in Enchiridio cap. LXV. In Ambrosio, libro de Pœnitentia, & aliis compluribus locis. Et hanc institutionem siue ordinationem testatur Clericus Romanus fuisse apud ipsos obseruatam.

Hæc est Satisfactio illa, de qua Sancti Patres scribunt, & quam Aduersarij hoc loco adducunt: ad quid de ea in tota Aduersariorum administratione

ministracione

ministracione reperitur? Quot pastores habent, qui vel vnum aliquod verbum de hac antiqua obseruatione nouerint? Quia igitur frōte audēt librum Reformationis propter eam reprehendere? Cum tamen substantialia huius ordinationis & obseruationis partes non omiserit, sed docuerit, quæ tamen apud ipsos parum vrgentur & expenduntur. Cuiusmodi sunt: se totum à vitiis auertere: absolutionem ardentibus votis expetere: omnia scandala prius auferre, & seriā peccatorum pœnitentiam re ipsa demonstrare: omnes occasiones peccandi fugere: tempora & loca peccatis accommodata vitare: contra peccatorum irritamenta fortiter dimicare, opemque & auxilium Dei implorare. Hæc omnia clarè ac seriò proposuit Liber, & vult Absolutionem differri, vbi quis pœnitentiam suam scandala omnia remouendo, & deinceps in obedientiam & timorem Dei semetipsum tradendo, Ecclesiæ cum firmo proposito, tum seriâ emendationis pollicitatione non demonstrat, tandiu donec talis Ecclesiæ in hoc casu satisfaciatur.

De satisfactione citant Aduersarij & Paulum 2. Cor. 7. vbi tamen vocabulum Satisfactionis non habetur, sed sic legitur. Ecce enim istuc ipsum, quod secundum Deum contristati fuistis, quantam in nobis genuit sollicitudinem, & defensionem (*ἀπολογία*) imò indignationem, imò timorem, imò desiderium, imò æmulationem, imò vindictam? Corinthij impunem quendam inter se reliquerant, qui nouercam suam pro vxore habebat: propter quod Paulus acriter eos reprehendit, ac summo perè contristauit, & sollicitos reddidit, 1. Cor. 5. Hoc autem veram de tali eorum peccato & negligentia pœnitentiam apud eos excitauit, fecitque, vt se erga D. Paulum re ipsa excusarent, & defenderent, atque ad omne placitum eius sese compararent, per Christianam indignationem, æmulationem & vindictam aduersus eum, qui grauissimum hoc scelus admiserat: per ardens desiderium aduersus Paulum, & timorem quem in excommunicatione istius peccatoris declarauerant, *ἀπολογία* dicit Paulus, quam vocem vetus translatio Defensionem, Ambrosius excusationem vertit, & propriè excusationem seu defensionem significat.

Erafinus transfudit quidem Satisfactionem, verum non eo sensu, quo Aduersarij hoc vocabulum accipiunt, sed pro purgatione, sicut hoc nomine vtuntur Latine loquentes. Corinthij enim de communicatione turpissimi istius facinoris, quod admiserat is qui nouercam suam pro vxore ad se acceperat, re ipsa se excusarunt, purgarunt & defenderunt, in eo quod se aduersus istum peccatorem adeò strenuos ac seueros in sumenda pœna, timore verò ac desiderio erga Paulum summo studio ac zelo feruentes demonstrabant.

In hac sententia S. quoque Patres has voces vsurparunt, & præsertim Cyprianus, cum dicit, satisfaciendum esse Deo fletibus & lamentationibus, ieiuniis & elemosynis. In qua locutione neque D. Cyprianus neque alij Patres hoc intellexerunt, quod homines eiusmodi vel aliis suis operibus de peccatis suis Deo satisfaciāt, quandoquidē omnes fatētur hominē nullo tēpore satisfacere legi diuinæ, deberēque omnem

spem salutis suæ semper in merito Christi collocare.

Sed intelligunt per (Satisfacere Deo) semetipsum rursus Deo in gratiam eius, voluntatem & obedientiam sistere ac tradere. Vnde D. Cyprianus dicit, Satisfacere Deo precibus & operibus ad misericordiam.

Antiqui Patres Latina lingua propriè vsi sunt, in qua Satisfacere alicui, idem est quod se alicui purgare, & rursus approbare. Hoc fit à nobis erga Deum quando de peccatis nostris seriò & ex animo dolemus, eaque confitemur, & id non verbis tantùm, sed seriis quoque lamentationibus, ieiuniis, aliisque humiliationibus & castigationibus carnis: atque hoc modo nòs ex animo rursus ad Dominum conuertimus, gratiam eius ardentibus votis precamur, idque diligenti exercitio omnium piorum operum, præcipuè verò eleemosynarum, & propensæ in pauperes beneficentiæ ac liberalitatis. Sic enim faciunt omnes pij filij & subditi erga parentes ac magistratus suos, si quando eos grauitè offenderunt, gratiamque & fauorem eorù recuperare desiderant. Fatentur offensas suas, idque summò cum dolore, gemitu & plâctu, singularique sui ipsorum humiliatione, adedò vt seipso abstinence ab omni recreatione & gaudio, idque tam in vestimentis quàm omnibus gestibus, & tota conuersatione, sedulò & per seipso, & per alios instant precando veniam & reconciliationem, student quiduis & facere & pati, quo se parentibus aut superioribus suis offensis gratificaturos, gratiamque & beneuolentiàmque eorum recuperaturos sperant. Hoc in lingua Latina propriè dicitur Satisfacere, & se rursus iis quos offendit approbare, & exhibere ad omne obsequium.

Hoc sanè Aduersarij ipsi fatentur, quòd omnia opera pœnitentiæ solummodo per meritum Christi & fidem Deo grata & accepta esse possint. Quamobrem quod Daniel Nabuchodonosorem iubet peccata sua bonis operibus redimere, & delicta sua benefaciendo pauperibus purgare. Item quod Iesus Syrach scribit, *Sicut aqua extinguit ignem, sic eleemosyna extinguit peccatum*: & aliæ id genus sententiæ omnes de iis tantum bonis operibus intelligendæ sunt, quæ ex fide Christi proponuntur, & perficiuntur, ad misericordiam Dei exorandam, non autem promerendam. Quibus operibus etiàm Deus hanc gratiam largitur, vt pœnam peccatorum vel minuat vel penitus amoueat, si id per talia opem per dilectum filium suum ab eo petatur & oretur. Non quòd hæc opera tantæ apud eum dignitatis sint, & valoris, sed quod clementissimus Deus ex mera bonitate & misericordia sua, & propter dilectum filium suum, vult omnibus iis, qui verà peccatorum pœnitentia se ad ipsum conuertunt, & gratiam eius per Christum huiusmodi sui ipsorum humiliatione ac studio semper faciendi quod illi placeat petunt, tam clementem ac misericordem se exhibere, vt meritis pœnas vel minuere, vel penitus remittere, atque hoc modo flammam iræ suæ in puniendo ipso extinguere, denique cum gratia ac benedictione seipsum ad tales conuertere velit. Hæc mera est gratia Dei, nullis operibus aut meritis nostris debita, quam tantummodo propter seipsum, & propter meritum dilecti filij nobis peccatoribus præstat & exhibet.

Sic

Sic enim ipse testatur Es. 44. Ego ego ille ipse sum, qui delet transgressiones tuas, idque propter me, & peccatorum tuorum non recordabor. Reduc mihi in memoriam, iudicabimur simul, narrato tu id, cuius causa absolutionem speres. Pater tuus iste primus peccavit, & interpretes tui perfide egerunt contra me, &c. Et D. Ioannes scribit, si quis peccavit, advocatum habemus ad Patrem Iesum Christum, & ipse propitiatio pro peccatis nostris. i. Ioan. 2.

Ex hoc dicto Esaia clarū ac perspicuū est Deū ipsum, & propter se, nō propter vlla merita aut iustitiam nostrā, peccata nobis condonare, non minus ea in quæ post Baptismum denuō lapsi sumus, quàm quæ antè admisimus. Hæc enim sententia Esaia primū omnium ad eos prolata est, qui iam erant populus Dei, & post acceptam gratiam & adoptionem Dei rursus à Deo defecerant, & in grauiā peccata prolapsi erant. Estque diligenter notandum, quòd Deus in hoc dicto peccata à primo vsque parente nobis obiicit, quòdque coram ipso de nullo bono opere, nulla iustitia nostra gloriari possimus.

Sic habemus & in altero dicto de peccatis post Baptismum admissis, quod Christus verus advocatus remissionem peccatorum nobis impetret, sitque propitiatio ac satisfactio pro eis.

Caterum iis tantummodo vult Deus propter se, & propter dilectum filium suum ignoscere, quos peccatorum pœnitet, & qui solida fide remissionem eorum petunt. Quæ fides ac desiderium gratiæ diuinæ omnes veros pœnitentiæ fructus & opera profert, vt seriam confessionem ac deplorationem peccatorum, quæ fiat non verbis tantum, sed etiam humilitatione totius vitæ, crucifixione omnium prauarum cupiditatum & affectuum, ardentique studio sese omnibus bonis operibus Deo approbandi, præcipue verò elemosynis, atque omnimoda in pauperes beneficentia ac liberalitate. Sic ubi vera ac fidelis est pœnitentiā de peccatis, & serua gratiæ Dei remissionisque peccatorum petitiō, ibi semper veri quoque existunt veræ pœnitentiæ fructus & opera.

Quo verò ad eiusmodi fidem, & bona opera verè pœnitentiæ nos Dominus inuitet, promittit (sed ex mera bonitate ac misericordia sua, & tantummodo propter se ipsum, & per meritum dilecti filij sui) omnibus hominibus, qui talibus operibus, hoc est vera fide, ac pœnitentiā de peccatis suis, seriisque & assiduis precibus in nomine dilecti filij eius: vero etiam studio in omnibus rebus Domino seruiendi, & placendi gratiam eius quærunt, quod gratiam ac benedictionem suam, plenamque misericordiam abundè sint inuenturi, atque hoc modo peccata & transgressiones suas, hoc est, pœnas, quas peccatis & transgressionibus suis promeriti fuerant, per eiusmodi opera redempturi, & extincturi. Hoc est, quod ipse tunc furorem suum contra tales extinguere, meritumque supplicium clementer fuerant, per eiusmodi opera redempturi, & extincturi. Hoc est, quòd ipse tunc furorem suum contra tales extinguere, meritumque supplicium clementer remittere velit. Ipse inquam, ipse solus idque mera bonitate ac clementia sua, & propter propitiationem, quæ Christus ipse nobis factus est, quàmque impetrauit à Patre.

In his dictis enim per peccata intelliguntur pœnæ peccatis debita. Nemo enim vel vnum bonum ac Deo acceptum opus facere potest, nisi iam ante tantam habuerit remissionem peccatorum suorum, sitque in gratiam Dei acceptus, vt spiritum Dei ac veram fidem habeat, ex qua peccata sua deploret ac lugeat.

Hæc est veritas scripturæ de remissione peccatorum, ac veris pœnitentiæ operibus, cui ipsi quoque Aduersarij consentiunt, quatenus ad mediocritatem in quibusdam verbis fatentur. Aliquibus tamen verbis vtuntur, quæ nonnulla declaratione opus habent, ad id cum hac veritate omnino consentiant. Vt cum scribunt, Quod vnica & sola peccatorum in infidelitate admissorum satisfactio, sit amara illa mors Iesu Christi nostri Saluatoris. Si enim de ea satisfactioe loqui velimus, quæ iudicio diuino satisfacit pro peccatis, iramque Dei propria virtute sedat, sola certè & vnica mors Christi satisfactio est pro omnibus peccatis, tam iis quæ post acceptam gratiam & adoptionem Dei commissa sunt, quàm quæ antè. Estque omnibus filiis Dei necessarium, vt veram omnium peccatorum suorum pœnitentiam agant, tam eorum quæ in infidelitate commiserunt, antequàm gratiam Dei rectè cognouerunt & acceperunt, quàm in quæ post agnitam & acceptam gratiam denudè prolapsi sunt. Hoc autem solummodo interest, quod quanto peccata & transgressiones, quas Christiani post agnitam & acceptam gratiam admittunt, grauiores sunt iis, quas antè in infidelitate commiserunt, tantò magis seriam peccatorum deplorationem, gemitum ac planctum requirit vera & fidelis pœnitentia, Ecclesia quoque maiorem religionem, maiusque studium ab eiusmodi pœnitente requirit. Huc tendunt omnes S. Patrum sermones, quos ea de re conscripserunt, nempe quòd post Baptismum grauior peccatorum pœnitentia, magisque seria requiratur, quam antè.

Indiget & hoc quoque bona explicatione, quod Aduersarij ex Cypriano & alijs Patribus adducunt, *Quod quemadmodum semel in Baptismo remissio peccatorum datur assidua & iugis operatio Baptismi instar imitata, Dei rursus indulgentiam largiatur: ex eoque inferunt, Baptismi purificationem operibus pœnitentiæ recuperari & restaurari. Item, quod Pœnitentia secunda post naufragium tabula sit, qua ex perditione ad salutarem gratia portum enatare possimus.* Hæc verba bona indigent declaratione.

D. Cyprianus eo in loco, quemadmodum Aduersarij citant, in sermone de Eleemosyna hortatur ad eleemosynam. Meritò igitur adducit & amplificat omnes eas promissiones, quos Deus huic bono operi, beneficiæ ac liberalitatis in egenos in scriptura sua fecit: præcipuè verò quod hoc opus misericordiæ conducat ad misericordiam Dei exorandam & impetrandam, si quando peccatis & transgressionibus nostris iram Dei in nos concitauimus. Sicut Dominus ipse dicit, Beati misericordes, nam & hi misericordiam consequentur. Et quoniam Deus istis operibus gratiam suam, ac debitorum suppliciorum remissionem promisit, hinc est quod D. Cyprianus & alij Patres ea quantum ad hoc atti-

net, S.

net, S. Baptismati conferunt, quod per talia opera veniam peccatorum exoremus & consequamur.

Interim verò discrimen Baptismatis & Pœnitentiæ siue conuersionis ad Deum agnoscendum & considerandum est, nempe, quod in S. Baptismo non solum præteritorum peccatorum ablutionem, verumetiam gratiam & adoptionem Dei, communionemque Christi percipiamus, vt hunc Christum Dominum nostrum habeamus aduocatum & propiciationem pro peccatis apud Patrem, quandiu in hoc mundo versamur: qui etiam veram in nobis pœnitentiam satisfactionem & satisfactionis opera, producit, opera verò diaboli destruit: cuius sanguis solum nos mundat ab omnibus peccatis: qui etiam si peccata nostra confiteamur, adeò fidelis & iustus est, vt ea nobis, nosque mundet ab omni iniquitate, 1. Ioan. 1.

Hoc verò vt antea dictum est, hoc modo in nobis perficit, quod per spiritum suum & fidem, veram in nobis operatur & excitat pœnitentiam peccatorum, seriâque reuersionem ad Deum cum ardenti studio omnium bonorum operum. Quamobrem Pœnitentia, satisfactio & Reuersio ad Deum in eo, S. Baptismati non est dissimilis, quod per eam gratiam Dei, communicationem Christi & mundationem à peccatis per sanguinem Christi in S. Baptismate acceptam, recuperamus & restauramus: quæ satisfactio deinceps peccata extinguit, & remissionem pœnarum assequitur.

Maximum tamen adhuc discrimen est inter Baptismum, vt Sacramentum regenerationis, in quo Christo Domino incorporamur, & cum eò vestimur, ipsumque propiciatorem, & vnicum Mediatorem inter Deum & hominem nanciscimur, & inter Pœnitentiam, atque opera satisfactionis, per quæ gratiam & dona in S. Baptismate accepta recuperamus, iisque rursum fruimur, atque hoc modo ex perditione peccatorum rursus enatamus. Quod nullo pacto facere possumus tabula nostrorum meritorum & operum, sed tabula, inò arca & nauis salutis nostræ, cruce Christi, quamuis per veram pœnitentiam de peccatis, & conuersionem ad Deum, in hanc nauem salutis denuò recipiamur. Doctores Christianæ religionis debent esse ministri Christi, non sui, aut vllorum hominum, sed Domini verba loqui, quæ lucida sunt, & sapientia præstant paruulis, Psal. 19. Quòd si Aduersarij obseruarent, non sanè tanta verborum copia, & tot expositionibus indigeremus. S. Patres in adhortationibus (ad amplificandas res ad quas hortabantur) sæpenumerò hyperbolicis locutionibus vsi sunt, & res verbis altius extulerunt, quàm per se ex tollendæ erant, si simpliciter docendum fuisset. Eiusmodi enim hyperbolæ aptiores sunt ad exhortandum, quàm ad docendum. Iam verò Aduersarij tales hyperbolas, vt simplices ac moderatas locutiones adducunt, oculisque hominum tenebras offundunt, vt lucem diuinarum scripturarum non amplius clarè possint inspicere. Necesse igitur est, vt quanto tales Patrum sententias citant, Christiani quàmprimum

considerent ac videant, verum Spiritus sanctus quoque in sua scriptura hoc modo loquatur. Quod ubi non inuenerint, non debent eiusmodi locutionibus, vt ab hominibus tantum profectis perturbari aut pusillimos reddi.

Postremò quod Aduersarij Augustinum citant in Enchiridio à capite LXV. vsque ad LXXXI. optandum esset, vt in ea Augustini doctrina seipsis continerent, qui eo in loco de operibus Pœnitentiæ, vt precatione, remittendo iis à quibus sumus offensi, & elemosyna, nihil aliud dicit, quàm quod per eiusmodi opera pœnitentialia gratiam Dei, & remissionem debitarum pœnarum exorare debeamus & possimus, sed per meritum Christi, quoties ex animo nos ad Dominum conuertimus in vera pœnitentia & fide. Nam D. Augustinus singulari diligentia gratiam Dei ac meritum Christi summoperè extollit & celebrat, & quicquid beneficij ad opera nostra Deus in nos confert, vel debitum peccatis supplicium remittit, id totum meram gratiam, ac donum diuinę misericordiæ agnoscit: cum omnia nostra opera, magis Dei opera sint in nobis, quàm propria, atque idcirco ex nostra parte semper imperfecta, vt legi diuinę satisfacere non possint. Ideo de hac re sic scribit, libro quarto, de meritis & remissis peccat. cap. xxviii. *Vniuersa Ecclesia tenet, que aduersus omnes prophanas nouitates vigilare debet. Omnem hominem separari quenquam, nisi qui per mediatorem Christum reconciliatur Deo: nec separari quenquam, nisi peccatis intercludentibus posse. Non ergo reconciliari nisi peccatorum remissione, per vnā gratiam misericordissimi Saluatoris, per vnā victimam verissimi sacerdotis.* Et ad Sixtum presbyterum: *Sicut enim ab initio fidei misericordiam affecti sumus, non quia fideles eramus, sed vt essemus. Sic in fine, quod erit in vita eterna, coronabit nos, sicut scriptum est, in miseratione & misericordia. Non itaque frustra Deo cantatur, Et misericordia eius proueniet me. Et misericordia eius subsequitur.*

### Octaua accusatio.

#### De iustificatione hominis.

#### CAP. XII.



**S**I Dominus daret, vt de vera Iustificatione omni ex parte ex animo & serio quæreretur, non autem contentiones & rixę, fieri facile posset, vt communis in hoc articulo statueretur in Domino consensus.

Aduersarij scribunt, Sacram scripturam docere de triplici hominis iustificatione, Librum verò Reformationis tantum de vnica. Item eandem scripturam docere, quòd summa Iustificatio quatuor essentielles partes in se includat, cum liber velit eam duas tantum continere. Tertio S. scripturam docere iustificationem operum, quam liber tacite pratermittat. Quarto Scripturam requirere, vt iuxta fiduciam habendam in iustitia Christi, populus proximè doceatur etiam certitudinem bonę